



VII, 21.

2. bog a



M. JOHANNIS Hoffmanns
Scholæ Schwarzburgico-Francohusanæ
RECTORIS

ORATIO AUSPICALIS
DE
COMPARATIONE
SCHOLARUM,

& præcipue

FRANCOHUSANÆ
cum SALE & SALINIS

Nobilissimæ SOCIETATI SALINARIÆ Francohusanæ
sacrata,

d. XII. Decemb. A. C. clo lsc LXXXI.

frequentissima præsentè panegyri

in auditorio majori

habita

RUDOLSTADT,
Literis FLEISCHERIANIS.

VIRIS
Nobilissimis, Excellentissimis, Amplissimis, Consul-
tissimis, Prudentissimis & Spectatissimis

DNN. PRÆFECTIS, IN-
SPECTORIBUS ET CURATORI-
BUS REI SALINARIÆ FRANCOHU-
SANÆ, ET TOTIUS SOCIETATIS

SALINARIÆ
MEMBRIS SPLENDIDISSIMIS,

Inprimis verò EVERGETIS suis æstimatissimis,
Patronis & Fautoribus suis hono-
ratissimis,

in grata mentis τεκμήριον & ulterioris bene-
volentie ὀρμητιέριον

cum pio omnigenæ felicitatis voto

HANC ORATIONEM AUSPICALEM

de Comparatione Scholarum & præcipuè
Francohusanæ cum SALE & SALINIS

consecrat

M. JOH. Hoffmann/ P. L. C.



*Nobilissima, quæ hic Francohusæ floret, Socie-
tati Salinariæ salutem à Fonte Salutis
precatur*

M. JOH. Hoffmann.

Consecrat hanc Vobis, Fautores atque Patroni,
Cor gratum chartam ac officiosa manus.
Quò plus splendoris levis hæc Oratio capter,
Splendeat & cunctis Vester ubiqve favor,
Quo me maectatis crescens nostrumque Lyceum:
Pluribus hocce probein, non opus esse reor.
Tot mihi monstrastis vestri documenta favoris,
Quot noster guttas fons salis almus habet.
Quæ vobis tanto reddam pro munere dona?
Reddere nil præter pectora grata queo.
Ingratus forsan ne nominer, ergo remotis
Arbitris grates solvere nolo meas.
Sit gratæ præsens index Oratio mentis,
Certa simul vestri signa favoris habens.
Accipiatis eam, Fautores, fronte serenâ
Et semper constans sit mihi Vester Amor.
Sint Vobis cûræ porrò incrementa Lycei,
Quæ modo si crescent, crescet & omne bonum.
Omnis in hoc nostro fixa est mea cura Lyceo,
Hoc ego quò reparem, mensque manusque studet.
Non melius potero fors respondere favori,
Uberrim quo me, Wiparis alma, beas;

Seneca.

A 2

Quam



Quam si restaurem turres murosque Lycæi,
Fortia qui cunctæ fulcra salutis erunt.
Ergo feratis opem, mecum conjungite palmas
Auxilio vestro consilioque pio.
Sic nostrum stabit meliori sorte Lycæum,
Quod PATER ET PATRIÆ fulcit amore pio.
Moratos Cives vultis? Servate Lycæum:
Vultis & hosce pios? Sit pia cura Scholæ.
Affectus constat satis, o Franchusa celebris,
Quem spiras nostræ in prospera fata Scholæ.
Concessit multos clementia dia Patronos
Hactenus, & plures, ceu bene spero, dabit.
Posthac quælo tuum pergas, Franchusa, favorem,
Hunc compensabit gratia dia tibi.
Hæc illata tuis mox detrimenta salinis
Reddere centuplici foenore, crede, potest.
A te bella, fames, pestis quævisque recedant
Damna: Salis largè fons sine fine fluat.
Commoda mille fluant & cuncta salus fluat in te:
Quemlibet in totâ prosperet urbe DEUS.

*Dabam Francobusa A. 1683. ipso Festo Eucharistico
d. 18. Aprilis propter pestem clementer hic a-
verruncatam instituto, & quo ante octennium
Rudolphipolin vocatus præmissâ ultimâ Dispu-
tatione presentibus Dnn. Professoribus in
Salanâ publicè valedixi.*

I. N. J.



I. N. J.

Vos Franchufanæ celebres salvete SALINÆ,
Dum vobis SAL erit, fit quoque cuncta
SALUS.



Hoc pium erat votum, Viri, maximè Reveren-
de, Excellentissimi, Nobilissimi, plurimum Re-
verendi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissi-
mi, Clarissimi, doctissimi & humanissimi, Domi-
ni Patroni, Promotores, Fautores, Amici & Col-
legæ honoratissimi, Tuque lectissima Discen-
tium Corona, hoc pium, inquam, erat votum,
quo nuper ego Francohusam, ceu futurum
meum hospitium, simul ac oculos meos illa molestiori in itinere,
incurreret, ore & corde alloquebar. Hoc votum illicò excipiebat
devotissima beneficiorum divinorum hanc in Urbem hætenus u-
berrimè collatorum meditatio. In canam enim hujus Urbis memo-
riam, unà cum Salinis antiqvitatem revocabam, quã per singula-
rem DEI providentiam illa ad duodecimum nunc seculum, hoc est,
ad mille & ducentos propè annos, non singulari splendore & flore
suam peregit ætatem. Profectò nisi hæc antiqva *salis Civitas* vigi-
lantissimas providentiæ divinæ excubias habuisset, dudum everfa &
sale conspersa fuisset. Subactâ à Regibus Franciæ Dieterico & Lu-
thero Thuringiâ, Saxones auxiliatrices ipsorum milites promissam
Thuringiæ partem, juxta Chronicorum relationem salarii loco po-
stularunt. Reges Francici promissi memores Saxonibus inter alias
hujus regionis partes hunc tractum Francohusanum tum temporis
Bärenklau appellatum, exceptis tamen salinis, tradiderunt. Ad
hunc deinceps Salinarum locum, à regno suo & à Domo in vicino
monte

monte primò exstructà sic dictam, Reges Franciæ Francohusam, condere cœperunt. Hinc celebratissimus ille Misniæ suæ Epicharmus & literarum humaniorum stator Georgius Fabricius de memorabili rebellium rusticorum clade, hoc in vicino monte peractâ, agens, Francohusam *antiquam Francorum sedem* nominat. Adeoque hoc ingens Supremi Numinis beneficium est, quod per tam longum Seculorum decursum, per tot temporum injurias Francohusa ad præsens usque fuerit conservata. Plurima in medium essent proferenda de Francohusæ ad Schvvarzburgicam diocesin accessione, (anno supra millesimum trecentesimo & quadragesimo factâ,) de rusticâ seditione, de reformatione, de bellis, incendiis, aliisque rebus gestis: sed Historicorum curæ hæc sunt relinqvenda. In hoc mens mea jam unicè est occupata, ut tacitam tum temporis meditationem, quam de beneficiis hætenus huic oppido à Divina benignitate exhibitis, nuper fovebat & adhuc fovet, in apricum proferam & splendidæ huic Panegyri proponam & aperiam. Quocunque nostros & corporis & animi oculos flectimus, lucidissimum beneficiorum divinorum conspicimus & inspicimus speeulum. Memorabile sanè imò ineffabile beneficium est, quod hætenus misericordia divina, omnia pestilentis contagii iacula & spicula circa hanc Urbem undiquaque quasi volantia scuto gratiæ suæ exceperit, eamque ab omni damno immunem reddiderit. Enimverò hæc Civitas tanquam ovicula inter lupos contremiscens, & navicula inter Charybdim & Scyllam fluctuans hætenus quasi hæsit, hiantibusque contagionis faucibus tanquam præda exposita fuit, divina autem clementia fecit, ut hæc civitas facta & tecta, quod ajunt, servata fuerit, quæ ut porro fervetur, supplices Deum veneramur. Summum porro beneficium est, quod Deus & benignior Natura hujus loci tractum ita amœnum, ita fœcundum reddiderit, ut cum vicino *aureo arvo*, sive *Gulden Aue* meritò queat contendere. Quàm largissimo scœnore, quàm copiosissima ubertate semen inspersum agri fœcundissimi colonis suis reddant, quantam vini abundantiam & præstantiam fertilissimarum vinearum cultura ferat, vosmet ipsi felicissimi incolæ experti testabimini. Quid de memorabili & incomparabili salinarum beneficio dicam, quod præ tot aliis urbibus Supremus Salinarum Dominus hanc civitatem beavit & maectavit? Quod pretiosissima

fima

lima gemma est in annulo aureo, quod lectissima margarita in con-
châ, quod opulentissima aurifodina in montibus metallicis, quod
oculus ille mundi Sol in cælo: id Sal & Salinæ sunt in oppido & ter-
ritorio Francohusano, imò gratissimum totius Patriæ sunt medi-
tullium, & simul politissimum singularis Dei providentiæ & benefi-
centiæ, ludentis naturæ & mirabilis inventionis humanæ speculum.
Quantum emolumentum, quantum oblectamenti hæ Salinæ non tan-
tum hanc ipsam in Urbem, verum etiam in tot terras multis etiam
milliaribus distitas, imprimis autem in universam patriam Schvvarz-
burgicam tanquam per canales derivent, quotidiana comprobatur
experientia. Illic Francohusa jure meritoque opulenta *salis civi-
tas* appellari potest, quod nomen oppidum *Nipsa* in tribu Judæ, cujus
in sacris Josuæ scriptis fit mentio, olim habebat. Salis civitas Fran-
cohusa est, felicissimum si regimen tum superius, nempe dica-
sterium illustre, tum inferius, nempe prudentissimam amplissimi Sena-
tus gubernationem intuemur. Nihil enim utriusque Magistratui ma-
gis curæ & cordi est, quam ut Salinas justitiæ, bonarum legum &
morum conservet, Sale probitatis, ut ita dicam, conspersos defen-
dat, insulos contra, improbos ac immorigeros intelligo, acri pœna-
rum Sale defricet atque puniat. De hisce justitiæ Salinis meritò no-
bis cum Israëlitis cantandum est: *Hic est Salis puteus, quem Princi-
pes & Nobiles in populo foderunt.* Salis civitas Francohusa est, si pu-
rissimum salis verbi divini & Sacramentorum usum in Salinis hisce
mysticis consideramus. Quam diligentissimè fidelissimi hujus salis
mystici curatores h. e. Ecclesiæ ministri, qui ab ipso Salvatore cum
sale comparantur, in salinis ecclesiasticis laborent, te ipsam, Fran-
cohusa, testem provoco. Amplissimus de sale & salinis ecclesiasticis
dicendi campus sese mihi offerret, nisi paulò longius à scopo me ab-
erraturum vererer. Quemadmodum igitur Ecclesia cum Salinis &
sale non invitam admittit collationem: ita quomodo Scholæ, quæ
nihil aliud sunt, quam parvæ ecclesiolæ, ut magnus quidam Theolo-
gus illas appellat, & imprimis nostra Francohusana, cujus moderatio
à cœli Numine & Patriæ Patribus præter omnem expectationem mi-
hi benignè demandata est, queat comparari, more recepto in hoc
solenni inaugurationis actu, divina annuente gratia, dispiciam.
Quod dum facere aggredior, vos, Auditores omnium Ordinum
hono-

honoratissimi, submissè, observanter & amicè rogatos volo, ut hanc meam levi quantumvis & fugitivo stilo elaboratam orationem sale humanitatis & benevolentiae vestrae in auscultando adspargere haud dedignemini.

Scholæ Francohusanæ B. Joh. Gerhardus, cujus beatos cineres omnes Orthodoxi venerantur, in epistola dedicatoria (partis 3. lib. II. Confessionis Catholicae Anno 1637. editæ,) ad Illustrissimum Comitem ac Dominum, DN. LVDOVICVM GVNTHERVM, Illustrissimi nostri PATRIS PATRIÆ Parentem beatissimum, sequentibus verbis meminit: *Quanta clementia Scholarum praesides perillustris vestra Generositas complectatur, vel ex eo conspicuum est, quod salaria ipsorum, intuitu difficillimorum istorum, in quibus vivimus, temporum, benignissimè adauxerit,* ac uni Scholæ Francohusanæ ante biennium summam mille florenorum in subsidium Praeceptorum munificentissimè consecraverit. Hæc Scholarum cura exerit sese quoque in filio, patriarum virtutum hærede felicissimo, nimirum in Illustrissimo nostro Optimoque Patriæ Patre. Quam singularem non tantum erga provincialem, verum etiam hanc Francohusanam imprimis Scholam spiret eamque indies adaugeat, luculentissima adsunt testimonia. Cum itaque post beatum Clarissimi Dn. M. Engelbrechtii discesum, (cujus diligentiam piisque in disciplina zelum hac in Schola adhibitum, deprædicare nunquam desistam,) singularis Illustrissimi nostri gratia & amplissimi Senatus favor, aucto etiam salario, successorem me constituit, operæ pretium & huic loco non inconvenientem materiam esse censui, si comparisonem inter Scholas & Salinas instituerem. Comparari autem Scholas cum Salinis posse arbitror, si primam utriusque originem & scaturiginem inquirimus. Quo quidem tempore & quomodo Salinae Saxonicae, ad quas spectant etiam Francohusanae, coeperint, exactè non constat. Originem verò earundem esse antiquissimam, vel unicum Taciti, egregii germanarum rerum Scriptoris testimonium confirmabit, quippe qui tertio decimo Annali circa finem conflictus meminit, qui Her-
mun-

munduris cum Cattis ob fontium falsuginosorum possessionem intercessit, cujus verba in medium proferre haud pigrabor: *Eadem estate inter Hermunduros Catosque certatum magno praelio, dum flumen gignendo sale fecundum & conterminum vi trahunt.* Et paulò post: *Inde indulgentia Numinum illo in amne, illisque sylvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa contrariis inter se elementis, igne atque aquis concreta.* Sed bellum Hermunduris: *Cattis exitio fuit.* Verum cum Deo & die hac de re, ex adminiculis cujusdam ad miraculum docti Patroni benignissimè promissis, plura differendi fortè dabitur occasio. Salinas autem quasdam quare *Halas* nominare ament, quales sunt Halæ Tirolenses, Halæ Svevicæ, Halæ Saxonum, ratio appellationis descendit à veteri germanico vocabulo *Hale* / quod idem est ac Salinæ & cum græco *ἅλα*, Salinæ convenit. Hinc illi Etymologiæ non videntur satisfacere, qui nomen proprium *Hale* vel in singulari, vel duplici liquidâ efferunt. Cuiusque Seculo Salinarum inventio adscribatur, id tamen tam certum est, quàm quod certissimum, veram Salinarum originem non à Neptuno vel ejus uxore Salacia, nec à Misone & Selecho, ceu Polydorus Virgilius, (de invent. rer. lib. 3. c. 5.) statuit, sed ab unico eoque benignissimo Numine dependere. Hic enim sub ipsum statim mundi nascentis exordium salem sive naturalem, sive artificialem, unâ cum reliquis metallis & mineralibus efficacissima verbi FIAT pronunciatione terræ & maris visceribus inseruit, ut ejus Salinæ & fodinæ postmodum variis in terrarum locis non sine divinâ *Νεφέσσι καὶ διοικήσσι* in omnium animalium usum sese exeruerint, quæ in hunc usque diem à Deo etiam mirabili modo conservantur. Hanc sententiam & ipsos gentiles amplecti patet ex antiquissimo Poëtarum Græcorum Homero, qui salem appellat *entheum munus*; & ex Tacito, qui *saalem indulgentiâ Numinum provenire* affirmat. Idem etiam de Scholarum Salinis credendum est. Scholasticæ profectò Salinæ & in his sal sapientiæ & liberalium artium, habent autorem non Minervam, fictitiam gentilium Deam, sed Deum sapientissimum & omniscium, à quo omnia bona & dona proficiscuntur, in quo absconditi sunt omnes sapientiæ thesauri. Hic *Schilo Schole* autor unicè est, quâ stante allusione, latinam vocem

B

Schola

Schola & germanicam Schule à Schilo non coactè derivari posse in aprico est, partim quia his Schilo primus & verus Scholarum autor est, partim quia in Scholis doctrina de Schilo teneris juventutis mentibus sedulo est instillanda, juxta versiculos:

Si Christum benè scis, satis est, si cetera nescis:

Si Christum nescis, nihil est, si cetera discis.

Non solum autem Deus Opt. Max. Scholarum autor est, verum etiam earundem conservator & propagator clementissimus. Propagavit eas per Patriarchas, Prophetas & Apostolos, per Reges & Principes aliarumque Rerumpubl. Præsides ad præsentia usque tempora. Non hæc hora, sed dies me deficeret, Auditores benevolentissimi, si horum omnium nomina & facta enumerare & recensere instituerem. Brevitatis igitur, quantum fieri poterit, studiosi in nostris Salinis curioso animi obtutu lustramus quoque ineffabilia Salinarum & Salis commoda cum Salinis Scholasticis non invitam collationem habentia. Utilitas, quam Sal & Salinæ afferunt, & humano generi offerunt, fere est ineffabilis. Huc collineat tritum illud adagium: *Sole & Sale nihil utilius.* Hinc ipse Salvator Salis utilitatem emphaticis tribus verbis commendat, *καλὸν τὸ ἄλας, Sal est bonus.* Est enim Sal condimentum omnium optimum & obsoniorum obsonium. Insuper Sal propter acrimoniam, quam continet, absumit humores pravos & superfluos, à cibis putredinem arcet, ne corrumpantur & ipsa salita firma reddit & durabilia. Hinc in sacro codice *foedus salis* idem est ac firmum, constans, stabile, inviolabile, nullaque, ut ita dicam, vetustate computrescens. Quantam præterea efficaciam plurima medicamenta ex salis usu habeant, Medicorum & Chymicorum filii uno ore testantur. Unum adhuc instar omnium de præstantia & utilitate salis testimonium sagacissimi rerum naturalium indagatoris Athanasii Kircherii, Jesuitæ doctissimi (in mundo subterraneo, Tom. I. l. 6. Sect. 1.) attulisse sufficiat: *Sal, inquit, est centrale corpus naturæ, virtus, vigor & robur terræ, omnium virtutum terrestrium compendium, omnium principiorum naturæ subjectum, à cujus essentia centrali totius naturæ scientia & absoluta cognitio dependet, materia ex qua omnia constituuntur, & tandem in idem destructa resolvuntur; primum & ultimum a & ω miscibilem corporum, puteus naturæ & res propè divina.* O præstantis-

stantissimam salis & salinarum utilitatē! O enthea salis munera!
 Veniam me à vobis impetraturum confido, Auditores honoratis-
 simi, si omnia & singula salis commoda non valeam hoc loco enar-
 rare. Adhæc, si in exaggeranda salis & salinarum utilitate copiosior
 & curiosior esse vellem, nescio an soli lumen scenerari & generoso vi-
 no hederam viderer suspendere. Quapropter ex salinis naturalibus
 digredimur ad salinas nostras Scholasticas, summam earum visuri u-
 tilitatem. Perpendite quæso ipsi, Auditores æstimatissimi, unde
 tot Ecclesiæ Doctores, Episcopi, Pastores & juventutis formatores
 prodierint? Nonne Scholasticis ex Salinis? Unde juris & legum
 periti, Consilarii, acuti causarum defensores, Consules, Syndici,
 aliique Politicæ & Senatoriæ dignitatis viri? Unde Medici? An-
 non ex Salinis Scholasticis? Unde pii, prudentes & benè morati
 patres familiars? Unde artifices, opifices, quorum plurimi artem
 musicam, arithmeticam, & similes artes callent ac docent peregre-
 giè? Num non ex Salinis Scholasticis? Sunt igitur Salinæ Scholasticæ
 πηγὰ τῶν καλῶν πάντων, teste Xenophonte, fontes omnium bono-
 rum. In hisce coqvitur & præparatur verus sal sapientiæ, qui ad-
 huc hodie in Depositionibus, quas vocant, Academicis, qui ritus
 vetustissimus & ceu pleriqve putant, tempore Platonis jamdum
 Athenis usitatus, locum habet. Ista autem salis porrectione cu-
 riosa antiquitas subinnuere voluit, literarum cultores debere esse
 acres, excitatos, alacres, non putridos vel Murciae & Vacunæ
 litantes, sed in id sedulo incumbentes, ut aliquando τὸ ἄλας τῆς
 γῆς evadant, sapientiam non solum ipsi discentes, sed alios eam
 quoque docentes. Quemadmodum salis natura & hæc, est ut fir-
 met & duret ea, quæ saliuntur: ita per salem sapientiæ & salinas
 scholasticas status ecclesiasticus, politicus & œconomicus durabit,
 donec mundi machina durabit & perstabit. Inspectâ igitur &
 paucis perspectâ salis utilitate nunc ejus necessitatem brevi verbo-
 rum periodo commemorare haud pigrabimur. Inter alia ad vitæ hu-
 manæ sustentationem requisita prudentissimus morum formator,
 Syracides recenset etiam salinas & salem. Hinc à Sale Salarium
 nomen accepisse credibile est, quod sal homini ex Salario viventi,
 tam necessarius sit, ut sal. Hisce suffragans Plinius, *vita hercle in-
 quit, humanior sine sale nequit degere, adeò necessarium elementum est.*

Nec immeritò. Condit enim insipida, grata quædam suavitate gustum demulcet, stomachum acrimoniâ suâ excitat. Audiamus Isidori Hispalensis suffragium de necessitate salis: *Sal* inquit, *necessarius est ad omnem escam, pulmentis enim saporem dat, excitat aviditatem & appetitum in omnibus cibus facit, ex eo quippe omnis victus delectatio est, summa hilaritas.* Ipsi quæso pensitate, O optimi Auditores, & omnia aromatum genera perpendite, horum omnium nihil salis defectum compensare posse intelligetis. De efato igitur Salvatoris quis nisi excors ac amens dubitaverit, si *sal infatuatus sit, quo cibus salietur?* Non immeritò quidem est dolendum, tam necessarij hujus condimenti, dum magna ejus ubique datur copia, non justam ubique haberi rationem. Quod si verò incomparabilis hic thesaurus nobis subtraheretur, tùm demum intelligeremus salis bona, cùm ea, quæ in potestate habuimus, amissemus. Quemadmodum itaque salis & salinarum usus ad quotidianam vitæ humanæ sustentationem maximè necessarius est: ita salinæ scholasticæ ad statûs ecclesiastici, politici & œconomici & ad totius boni publici conservationem sunt summè necessariæ. Omnis enim prosperitas, omnis felicitas, per canales tanquam, ex Scholarum Salinis in omnes terrarum partes, omnesque vitæ humanæ status derivantur. Holofernes & Philistæi infernales, ceu abjurati Salinarum Scholasticarum hostes, nullum non movent lapidem, quò canales hosce vel destruant, vel ascis abscindant, ut Salinæ Ecclesiæ, Reip. & œconomix & sal bonarum legum & morum majus subindè detrimentum capiant. Et sanè dudum nefanda conamina, crudelissimi hostes effectui dedissent, nisi summè potentissimi & sapientissimi Numinis præsidium ipsis obstitisset. Et quò majora ex Scholis in bonum publicum redundant emolumenta, eò majus etiam & acerbius est odium, quo hostes infernales benè constitutas Scholas prosequuntur, easque funditùs evertere omni studio conantur. Subjicite quæso oculis vestris civitatem vel regionem aliquam, in qua nullæ essent Scholæ, quid aliud oculis vestris conspecturi essetis nisi horrendam barbariem, impietatem incredibilem, insulsos mores, latrocinia, rapinas, furta, homicidia, commestationes, luxuriam, adulteria, scortationes & cuncta vitiorum & scelerum genera? Multa paucis: cerneretis vitam cyclopicam &

& Sybariticam. O horrendum & detestandum spectaculum, quod divina clementia longissimè ab oculis nostris abesse jubeat. Ex his itaque luculentissimè apparet Scholasticas Salinas ita necessarias esse, ut sal & salinæ naturales ad humanæ vitæ conservationem. Hinc, teste Cicerone, prudentissimo illo eloquentiæ Patre, *nullum munus Reipub. afferre majus melius possumus, quàm si doceamus atque erudiamus juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit.* Mecum, Auditores honoratissimi, mentibus vestris in salinarum officinas regredi ne gravemini, visuri quomodo telam comparationis cœptam pertexamus. In his sanè salinarum ergasteriis non licet à laboribus ferriari, otiari, torpere, non datur compressis manibus sedere & Vacunæ vacare. Hic improbi & periculosi tractantur labores. Ut verborum compendio utar, labores illos juxta parodiam Maronianam hisce placet includere versiculis:

Ligna vehunt alii, pars huc allata reponunt,
 Pars onera accipiunt venientum, plaustraque complent,
 Pars hic ligna parant, alii furnoque recondunt,
 Pars alibi curant ignem, flammisque ministrant.
 Pars undas haurit, fundunt aliique in ahena.
 Parsque salem coctum liqvant simul & coacervant,
 Et sexcenti alii qui sunt vel mille labores.
 Paucis : Fervet opus, sudant hic cuncta labore.

Taceo jam molestias, quas laboriosi Salinatores ex continua acerbissimi fumi exhalatione percipiunt, taceo incommoda alia: Taceo pericula, de quibus omnibus satis superque testabuntur, qui in hisce salinarum officinis & pistrinis laborant & desudant. Maximos autem ac improbos imprimis labores conspiciamus in salinis fossilibus, qui non sine summo vitæ discrimine suscipiuntur, præsentemque viris intentant omnia mortem. Ejusmodi autem salinæ fossiles non tantum in Poloniâ & aliis in locis, sed etiam in Hungariâ plures inveniuntur, in quibus lapicidinarum more sal ferro non sine labore excinditur. In Hungariâ celebriores sunt salinæ Cæsareo-Eperiesenses, ubi cum ante annos quatuordecim degerem, multos repentino lapidum casu vulneratos fuisse memini. Habent itaque

Salinæ gravissimos labores suos. Si tamen eos compares ad labores in salinis scholasticis tractandos, certè non est, quod curiosius labores salinarum exaggerem. Labores Scholasticos appellare, amant Sisyphios. Fuit autem Sisyphus Corinthiorum Tyrannus, cui ob tyrannidem id genus pœnæ in inferno impositum Poëtæ fingunt, ut ingens Saxum supra altissimum montis verticem manibus pedibusque volveret: & quando lapidem ad cacumen sustulisset, magna lapidis moles præcipite impetu revolvebatur. Cogebatur itaque Sisyphus concatenatum hunc lapidis volvendi laborem sine intermissione continuare. Sisyphium hunc laborem prudentes rei scholasticæ censores cum continuo & catenato labore scholastico comparârunt. Enimverò inspicite A. H. altos pulveris scholastici montes, quos singulis diebus jubentur quasi superare. Perpendite difficillimorum laborum onera, quibus tenentur subjacere. Licet enim ad nauseam usque repetitâ informatione, castigatione, inculcatione, labor paulò facilius fuerit redditus: iterandus tamen & revolvendus subinde est, dum novi discipuli succedunt & sic multum operis & laboris requiritur, antequam innata extirpetur barbaries. Considerate porrò varietatem laborum, horarumque multitudinem, quibus assidui & accubui concatenatâ serie docere coguntur. Cogitate rixas, indignationes, plagas, virgas, vociferationes, increpationes & alias molestias, quæ undique circumstrepunt. Intuemini capita quorundam præfracta, plurimorum mores insulsos, & Deo & bonis omnibus invisam insolentiam: perpendite plumbeas iras, quas ob datas justissimè pœnas quidam gerunt, Præceptoresque id propter odio habent, & tanquam tortores atque carnifices reformidant. Sunt qui in absentes conviciorum & scommatum plaustra eruçant: Sunt qui omnia discipuli crimina non negligenti domesticæ educationi, non parentum indulgentiæ & impunitati, sed soli misero Præceptori adscribunt. O improbos ac tædiosos labores scholasticos! O miseram Præceptorum sortem! Nonne rebus ita se habentibus, vestra licet etiam satis dura vitæ fors, qui dies noctesque in vestris salinarum pistri- nis laboratis, scholasticæ forti multis parasangis præferenda esset? Felicissimus lactæ venæ pater Buchananus Præceptorum ærumnas hæc inter alias descripsit distichis:

Ante

*Ante diem curvos senium grave contrahit artus,
Imminet ante suum mors properata diem.
Ora notat pallor, macies in corpore toto est,
Et tetrico in vultu mortis imago sedet.
Otia dum captat, præceptis in mille labores
Irruit & curis angitur usque novis.*

Gveinzius unico hoc versu Præceptorem sic describit:

Sit Jobus patiens, & sit fortissimus Hector.

Fideles tamen Præceptores id propter minimè sint timido animo, aut informationis hastam abjiciant, sed cogitent, se in Vocationis suæ statione vivere de præsentissimo Numinis auxilio certissimos: reputent gratiæ præmia in cœlis reportanda: ad animum revocent laborum suorum utilitatem nulli comparandam & quam longè lateqve hæc sese diffundat. Verùm ne oratio justos excedat limites, ad ultimam quoque comparationis partem accedendum est, consideraturi salinarum summum, quo habentur, pretium & æstimationem. Χαλεπὰ τὰ καλὰ, difficilia, quæ pulchra. Difficillimus quidem & improbissimus est in salinis labor, sed certè laboris effectus est præstantissimus, qui unà cum salinis maximi est habendus. Apud veteres nunquam non magnam salis extitisse æstimationem, antiquitatum Scrutatores testantur. Hinc neque apud Judæos, neque paganos Sacrificia absque sale peracta fuisse legimus. Judæi certè expressò Dei mandato ducti omnibus pecudum sacrificiis inter alia etiam particulam salis addiderunt, ceu sacri pandectæ testantur. Sic & in convictu paganorum non exiguam salis fuisse religionem constat. Hinc Pythagoras eundem in mensa primùm apponendum esse censuit, docente Erasmo. Id quod Schola Salernitana hoc comprobatur versiculo:

Sal primò debet poni, primoque reponi.

Pro malo etiam omine habebatur, si forte sal in mensa effunderetur. Et quidem sal maximi æstimandus esset, siquidem omnium condimentorum est nobilissimum, maximè necessarium, imò aliquid divinum in sese continens. Et quotusquisque est, qui salem & salinas omnibus etiam Cræsi Midæque thesauris non præferret, in quibus nervus rerum gerendarum, tum in Republ. tum in Oeconomia maximam partem consistit & salutis publicæ cardo vertitur.

tur. Idem certè pretium & encomium salinis Scholasticis minimè derogandum esse, sana ratio & boni publici necessitas dicitur. Etenim in Scholarum salinis vel sal sapientiæ paratur & coqvitur. Quemadmodum verò salinæ scholasticæ magni debent æstimari: Ita quoque laboriosis salis sapientiæ coctoribus, h. e. Scholasticis doctoribus & juventutis formatoribus justus honor tribuendus est. Sed quis hodiè minoris ferè æstimatur, quàm qui adolescentiæ moribus formandis operam suam accommodat. Quid igitur mirum, hoc si contemptu moti plurimi vel planè manum aratro scholastico non admovere velint, vel ad motam retrahere cupiant, Et eandem ob causam Scholas plerasque ad detrimentum inclinare undique advertimus. Pauci enim ad talia studia scholastica, quæ solidiora debent esse, animos applicant, ne in talia miseriæ & contemptus pistrina postmodum tradantur & trudentur. Theologum quendam in vicina Academia celeberrimum nuper ad me dixisse memini, præcipuam etiam causam fundi scholastici calamitatis hodiè habendam esse, quod Præceptores multis in locis sint in magno contemptu ac vilipendio. Accedit quod ipsis, imprimis inferioribus, sæpe sit vivendum ex siliquis & pane secundo, in quorum tenui mensa vel ligneum splendet salinum. Accedit, quod salaria, à sale nomen habentia, sine quibus ut sine sale Præceptor se suosque sustentare non potest, sæpius sint perexigua. Et hæc est communis omnium, quibus salus scholastica curæ & cordi est, querela, quam etiam vir prudentissimus, & nescio an juris consultus major, an Theologus, & in utroque scribendi genere celeberrimus, ipsarumque Scholarum Patronus incomparabilis, (immortale cujus nomen venerabundo jam involvo silentio, ne quod auribus Ejus me dare videar,) in aureo libello de Scholarum Præceptoribus, repetiit. Et hoc est perniciosissimum Satanæ Scholarum hostis infensissimi strategema, ut scilicet Præceptores afficiat paupertate & contemptu, contemptus parit tædium informandi, tædium informandi parit Scholarum decrementum, Scholarum decrementum parit Ecclesiæ, Reipubl. & Oeconomix maximum detrimentum. Tantum tamen abest, ut ab omnibus & in omnibus locis Præceptores ita contemptim habeantur & serviliter tractentur, ut contra non pauci sint, qui illos omnibus, quos me-

rentur,

rentur, ornent honoribus. Quantam benevolentiam in amplis-
simo Senatu plurimisqve Civibus primariis intra breve hoc tem-
poris spatium, quo hic vixi, invenerim, certè non possum non
eam hic publicè depraedicare, spem concipiens indubiam, magis ma-
gisqve hunc affectum in me reliquosqve Dnn. Collegas auctum iri,
qvinos omnes ad alacriter tractandos labores scholasticos magis
magisqve concitabit, inqve cœptis confirmabit. Qvam honorifi-
cè Dux Saxoniae ERNESTUS, pientissimæ memoriæ, Præceptores
habuerit, & de honorifico ipsis assignando loco sollicitus fuerit, con-
stitutiones provinciales fufius testantur. Qvanta etiam clementia
& munificentia Illustrissimus noster Patriæ Pater Scholas earum-
qve Præceptores prosequatur, ipsa facta loqvuntur, & inter alia
gratiæ signa ore tenus hanc clementiam erga meam parvitatem sa-
tis superqve non ita pridem declaravit. Laude dignissimum est &
illud Stetinensium institutum, quo Magistrum Valentinum Jole-
jum Senem octogenarium, qui per quinquaginta annos Scholæ
summa cum laude præfuerat, in publico loco ritu maximè solenni
ex officio suo dimiserunt: Cano enim Viri venerandi capiti co-
ronam lauream, aureis, quos Nobiles Rosas vocant, distinctam per
Apollinem Musasqve personatas inter applausus & gratulationes
anno hujus seculi vigesimo septimo, imponi curaverant. O ju-
cundissimum & spectatu dignissimum spectaculum! Eundem quo-
qve honorem Clarissimo Viro M. Eliæ Majori, Gymnasii Elisabetha-
ni Vratislaviæ Rectori per quinquaginta annos meritissimo exhibi-
tum fuisse memini, dum ante duodecimum & quod excurrit annum,
munificentissimus loci Senatus inauratum poculum, tot aureis, qui
Ducati appellantur, quod in Scholis laboraverat, repletum ipsi in
χαριστίας Symbolum obtulit. Et hæc de Salinarum cum Scho-
lasticis salinis collatione, occasione ita ferente, in medium afferre
volui. Equidem non diffiteor, plura in salinis & salinarum officinis
esse reliqua, aptam comparationem cum Scholis habentia, verum
nec temporis ratio, nec accurata salinarum exploratio proposito
faverunt meo. Æqui igitur boniqve consuletis, Auditores hono-
ratissimi, si vel prolixior, vel non ubiqve accuratior in hac compa-
ratione fuisset. Nunc ad ea mihi progrediendum est, propter quæ
cathedram hanc maximè conscendi. Scilicet grati animi symbola
ac devota, coronidis loco, mihi sunt offerenda. C Ro-

Romani olim festa fontalia celebrabant, quibus fontes coronabant, sibi invicem acclamantes : *Aquam hausisti, puteum corona.* Nostrum est, ut etiam nostros salinarum fontes per tot secula haustos coronemus. Coronemus illos corona devotæ gratiarum actionis, corona piæ preceationis, qualis etiam corona singulis diebus Dominicis nostris salinis imponitur. Imponimus autem gratiarum actionis coronam salinis nostris Scholasticis, quod illas Deus hæcenus conservavit, & adhuc conservet. Si itaque Deo debitas acturi simus gratias, indies nostræ salinæ majoribus abundabunt commodis, non aliter ac fons ille in regione Halæfina, de quo Naturæ scrutatores referunt, quod ad præsentiam jucundæ Musicæ magis magisque ebulliat & restagnet. Ut autem propius ad scopum accedam, in his nostris salinis scholasticis quædam salis statuæ erigendæ piisque votis quasi colligandæ sunt. Ante omnia autem salis statuam erigam supremo Salinarum Domino ac Haliarchæ ditissimo, Deo ter Opt. ter Max. quam humillimâ gratiarum actione sum vinciturus, quod me ab ineunte ætate tot beneficiis corporalibus & spiritualibus ad præsens usque non cumulaverit, sed obruerit; quod me extrapatriam peregrinis in locis multos per annos, & porrò ad præsens usque tempus in patria mirabiliter duxerit, Patronos munificos, inprimis munificentissimum nostrum Patriæ Patrem excitaverit, qui studiis meis consiliis & auxiliis optatissimis succurrerunt. Supplex igitur cum Samsone hoc in Scholastico vocationis fonte divinam benignitatem adoro, ut sicut hæcenus, ita imposterum magis magisque laboribus meis scholasticis gravissimis in hoc novo officio ex altis benedicat, quò illi cedant in sui nominis gloriam, boni publici incrementum & juventutis, hujus urbis splendidæ, totiusque Patriæ emolumentum. Devotissimas eidem agimus gratias, quod non tantum hanc urbem hæcenus, sed universam nostram patriam Schvvarzburgicam à pestis in vicinia grassantis veneno immunem præstiterit, salinas nostras, unâ cum salinis ecclesiasticis, politicis & œconomicis, & inprimis salinas scholasticas conservaverit. Profectò hoc luculentum gratiæ divinæ specimen est, ut nunquam gratiarum satis ei queat persolvi. Piis porrò precibus nos & nostram

stram patriam & imprimis salinas nostras mysticas eidem sedulo
commendamus.

Salis statua quoque erigenda est Illustrissimo nostro Patri
Patriæ, Comiti ac Domino meo clementissimo, pro tot inusita-
tæ clementiæ documentis, quæ non solum in Academiis, verum
etiam in Scholasticis muniis erga me luculentissimè declaravit. Pri-
mum Academiæ ingressum gratiosa munificentia præter spem ex-
hilaravit: progressum stipendio per integrum quadriennium
sustentavit: egressum officio publico beavit, in quo magis ma-
gisque suam clementiam atque munificentiam ad præsens usque
adauxit. Quid memorem singularem, quâ me affecit, gratiam
& munificentiam, quod præter opinionem gratuita mensæ alu-
mnos inspectioni meæ qualicunqve commiserit. Imprimis verò
haud obscurum singularis gratiæ indicium est, quod novo hoc mu-
nere nunc me meaque studia, Numine supremo ita dirigente, ma-
ctaverit. Tantam clementiam me nunquam meruisse, nec meri-
turum esse impune fateor. Interim omnes corporis vires & animæ,
per DEI gratiam eò conferam, ut spei hætenus de me conceptæ sa-
tisfaciam. Conservet propitium Numen hoc suavissimum patriæ
nostræ delictum in sui gloriam, perenne Patriæ gaudium, Eccle-
siæ, Reip. & Scholarum incrementum & omne subjectorum solatium.

Salis statuam non tam hac in charta, quam in corde erigo
quoque PATRIÆ PATRIS CONJUGI, pietate in Deum, mu-
nificentia in egenos, omniumque virtutum splendore celeberrima,
quam brevissima gratularum actione, pro nuper oblato gra-
tiosissimo donario ligaturus, pium nuncupabo votum, ut DEUS il-
lam quam diutissimè salvam, & incolumem servet in Patriæ gaudium
& pauperum solatium.

Salis statuam erigo Illustrissimo Comiti Juniori,
Domino nostro clementissimo, pretiosissimo totius Patriæ deposito,
pio ligandam voto, ut DEUS etiam illum constante valetudine, lon-
gissimâ annorum serie & omni benedictionum genere, imprimis in
laudatissimis suis studiis, porro coronet.

C 2

Salis

Salis statua est etiam erigenda Illustrissimæ nostræ **Comiti Virgini** ac Dominæ clementissimæ, Divina bonitas servet Clementiam suam diutissimè in florentissimo corporis & animæ statu, ut porrò pauperes asylum in ipsa habeant, sicuti immortalis hujus aliarumque virtutum encomio dudum fuit dignissima.

Et tibi etiam illustris **Fritschi**, Legate splendidissime, Patrone incomparabilis, salis statuam erigo, cui jam nihil aliud adjungam, quàm submissæ gratiarum actionis vinculum & symbolum, quod honorificentissima præsentia hunc actum inauguralem splendidiorem & honorificentiore reddere volueris. Certè hoc singulari Tuo in me amori unice est adscribendum. Sicuti tam ingens amor & favor, quo me non tantum in præsentia, sed etiam per tot annos persecutus es, eumque in Academia plurimis epistolis & brabeis confirmasti, singularem in me excitat lætitiā: ita non possum non breve votum annexere: Vivat **Fritschius**, feliciter! feliciter! feliciter!

Salis statuam cum pientissima gratiarum actione & votis devotissimis statuo quoque omnibus meis Patronis tum in superiori Dicasterio, tum in Curia Senatoria, & imprimis Tibi summè Venerande hujus loci Præsul, Nestor de Ecclesia Christi meritissime, Patens in Christo honoratissime, maximas ago habeoque gratias, quod eleganti Oratiuncula in hoc publicum munus me introducere, & ad provinciam hanc scholasticam inaugurari volueris. Filiali observantia piisque precibus pro Tua incolumitate vitæque prorogatione me semper Tibi obstrictum habebis. Vive ac vale diu feliciter! feliciter! feliciter!

Et vobis salis statuam sisto, Domini Assessores & Consiliarii gravissimi, Patroni honoratissimi, & imprimis Excellentissimo, Gravissimo ac de hoc Dicasterio meritissimo Domino **Ammono**, vobis immortales ago habeoque gratias pro vestro in me affectu, quem ut erga me continuetis, observanter rogo atque contendo. Et Vos vivite diu feliciter! feliciter! feliciter!

Salis statuam erigo splendidissimæ huic Juris Doctorum, Licentiatorum, Candidatorum aliorumque eruditorum coronæ,
omni-

omnibus & singulis decentes agens gratias, quod sepositis gravio-
ribus negotiis hunc actum splendida sua presentia condecorare
voluerunt, cum nihil vobis, quod tanta benevolentia dignum
sit, polliceri possim, animum semper memorem observantem &
officiosum non tantum Vobis, sed universae huic splendidissimae
concioni sanctè polliceor.

Salis statuam & vobis praecipuè erigo, venerandi hujus pres-
byterii Collegae fidelissimi, Fautores observandi, cui pientissi-
mum adjungo votum: Supremus animarum Episcopus Vos diu-
tissimè salvos & incolumes servet, salute vos induat, & omni-
genam corporis & animae prosperitate beet. Vestro amoris & favori
probatissimo me porrò commendatum habete.

Ante omnia verò Vobis, Amplissimi, & prudentissimi Con-
sules, Camerarii & Scholarchae Senatorii, Patroni mei aestimatis-
simi salis statua statuenda est cum devotissima gratiarum actio-
ne, quod ex clementissima Illustrissimi nostri commendatio-
ne singularem statim affectum erga me spiraveritis & suffragiis
consentientibus me ad scholae vestrae gubernationem expetieritis.
De tam insperatâ certè benevolentia non solum gratulor, optima
quaeque de ista mihi promittens; verum etiam obnixè rogo, ve-
litis eundem animum erga me meosque Collegas semper servare,
qui nobis incentivum erit haud leve, ad labores scholasticos ala-
criori animo suscipiendos. Quod si à vobis impetravero (im-
petraturum autem me confido,) omnes labores, omnes molestiae,
omnes adversitates nostrae non parùm imminuentur. Arden-
tissimum quoque subjicio suspirium, ut vos, Patroni honora-
tissimi, Angelus magni consilii hoc periculoso tempore diutissimè
servet, vestrum novum regimen sospitet, flagrantissima illa vota
ex pientissimo ore & corde venerandi nostri Dn. Superintenden-
tis pro concione nuper fusa rata esse jubeat, omnibusque animi,
corporis & fortunae bonis magis magisque vos beet, vestris ar-
duis consiliis benedicat & demum coronam justitiae capita vestra in
aeterna beatitate exornet.

Salis statuam & vobis erigo, honorandi Domini Collegae,
cum officiosissima gratiarum actione, quod me in vestrum Col-
legium recipere exoptaveritis, prolixumque erga me affectum.

haud obscure declaraveritis. Junctis igitur manibus & mentibus opus Domini nunc aggrediamur. Omnis nausea & fastidium animis nostris exulet. Suspirium in Salinis Halensibus usitatum, sit etiam nostrum: *DEUS promoveat opus!* (*Gott fördern das Werk!*) Hic aderit nobis gratia sua, laboribusque nostris incrementa concedet. Aderunt nobis Patroni constanti patrocínio & benevolentia. Qvod ad me attinet, Dnn. Collegæ dilectissimi, de mea fide intemeratâ, candore sincero, animo præsentis, opere strenuo, æquali laborum patientia, officiorum promptitudine & stabili concordia, quantum per me, semper conservandâ vos securos jubeo. Valeant ergò, valeant, qui inter nos diffidium voluerint, qui salis concordie scholasticæ violare, & nos fœdere salis quasi conjunctos disjungere studuerint. Quemadmodum sal apud veteres erat amicitie symbolum: ita sal sapientie in salinis nostris scholasticis, quem nos conficimus, simul etiam nobis sit amicitie signum & symbolum, ut concordiam scholasticam & pacem sedulo colamus. Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maxima dilabuntur. Concordia & amicitia mutua labores molestissimos jucundiores & faciliores reddit. Alterum salutis scholasticæ cardinem in Collegarum concordiam versari sapientum unanimum est suffragium. Memorabilia Aristidis ad Themistoclem adversarium prolata verba merito nostra facimus: *Nos certare oportet omni tempore non privatis simultatibus & odiis: Sed uter nostram melius de Patria mereri & plura in eam beneficia conferre possit.* De vobis omnibus Dnn. Collegæ optimi, spem optimam concipio, confidens, non opus esse, ut prius modium salis vobiscum, vulgari quod proverbio dicitur, comedam, h. e. fidem & candorem vestrum prius probem, siquidem ejus non obscura signa habeo perspecta, quem quin sitis servaturi, ne utiqvam anceps hæreo. Fideles & concordés, quos in Schola provinciali reliqui Collegas, in vobis me recuperaturum confido.

Salis statuam mnemonevticam & paræneticam vobis etiam pono, optimi adolescentes, bonæque mentis pueri, fidei & inspectioni meæ commendati. Huic statuæ parænesin fidelem & devotum alligo votum: Vos omnes & singulos adhortor, sale sapientie, sale bonorum morum, quem vobis exhibemus, diligenter

ter fruamini. Sitis instar aurigarum, qui inanes veniunt, sale vero onusti discedunt. Vos etiam sapientiae sale pleni aliquando his ex Scholasticis salinis discedatis. Admittite salituram bonarum admonitionum flexibili animo: ne si hoc omiseritis in insulos vel falsamentarios, h. e. agrestibus moribus praeditos evadatis. In his etiam salinis, ceu supra audivimus, laborandum est. Schola quidem juxta graecam vocem nomen habet ab otio: σχολή enim idem est ac otium: sed καὶ ἀνίστησις, quod minimè in Scholis fit otium, vel quod in licito otio de negotio quoque fit cogitandum. Quemadmodum Scipio dicere solebat, teste Cicerone & Plutarcho: nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus esset. Ingredimini salinarum officinas, videbitis magnos & improbos labores. Salem sapientiae si impetrare serè vultis, certè vobis non otium, sed laborandum est: In animum revocate illud Horatii:

*Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit & alfit.*

Nec non illud Hesiodi:

*Τῆς ἀρετῆς ἰδρωτὰ θεοὶ προπύργειον ἔθηκαν
Dii sudorem ante virtutem posuerunt.*

In Salinis nostris Scholasticis etiam aqua salis haurienda & coquenda est. Hauriatis aquam amphorâ pietatis, urna sedulitatis. In singulis etiam nostris salinarum officinis scholasticis, quarum sex sunt, necesse est, ut prius remoto impietatis excremento, quod vocari potest *der Seuber* / aqua omnium lectionum igne piæ precationis & diligentiae rectè & perfectè concoquatur, si genuinum sapientiae salem efficere volumus. Si verò vel immaturâ & imprudenti translocatione, quæ pestis est ingeniorum, vel negligentiam in classium officinis defectus deprehenditur, tunc valeat illa Medicorum regula: *Quicquid peccatur in concoctione primâ, difficulter reparatur in secunda.* In primis autem discipuli debent salis aquam haurire amphorâ amoris erga Praeceptores. Hinc è celeberrimi morum Censoris & Satyrici Juvenalis aureis versibus & hic elucet, ceu luna sidera inter minora:

*Dæ Praeceptorem sancti voluere Parentis
Esse loco.*

Et

Et Quintilianus optimus dicendi docendique Magister dicit: *Id u-
num Discipulos moneo, ut Praeceptores suos non minus quam studia a-
ment, & parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant.
Multum haec pietas studio conducit.* Credite discipuli dilectissimi, non
est habiturus Deum propitium in vitâ, quisquis Praeceptorem datâ
opera offensum sibi reddiderit in Scholâ. Petulantia igitur & in-
obedientia impunis non est ferenda. *Miscenda est lenitas cum se-
veritate, faciendumque est ex utroque temperamentum, monente
Gregorio. Sit amor, sed non emolliens, sit vigor, sed non exasperans,
sit zelus, sed non immoderatè sevens.* Cordatè olim Mauritius Has-
siae Landgravius, cum plerique studiosorum in Academia Mar-
burgensi ob seditionem concitatam gravissimè puniti Academiae
valedicerent, respondit: *Malo habere Scholam desolatam, quam
dissolutam. Non enim quam multi, sed quam boni sint, querendum
est.* Et Petrus Vincentius Wratislaviensis primus Scholæ Gör-
licensis Rector (d.ro. Julii A. 1565. introductus,) haud rarò in ore
habuisse fertur: *Malo auream Disciplinam & plumbeam Doctrinam,
quam plumbeam Disciplinam & auream Doctrinam.* Absit tamen
ingratum omen, meliora utique de vobis, oculissimi Discipuli,
mihi spondeo, Vos ultrò id, quod vestrum requirit officium, ob-
servaturos esse. Id, quod si feceritis, magis magisque ad vehemen-
torem amorem, & industriam quotidiè me inflammabitis & in-
gens hoc informationis & inspectionis opus non parum levabi-
tis. Interim nihil, quod ad vestrum commodum & studiorum
incrementum spectabit, me omisurum esse sanctè polliceor. Ut
paucis dicam: suprema lex mihi esto salus vestra, salus scholæ,
salus Patriæ. Verùm ne vestrâ tam expositâ benevolentiam,
Auditores benevolentissimi, abuti videar, dicendi finem faciens,
Coronidis loco tibi quoque Salis statuam erigo, O Florentissima
Francohusa, hospitium meum posthac acceptissimum. Hæc sta-
tua pio est colliganda voto: *Floreas Francohusa & maneat ab
omnibus periculis intacta. Floreant tuæ salinæ omnesque Salina-
narum officinæ. Floreant salinæ Ecclesiæ, salinæ Reipub. & in-
primis salinæ scholasticæ. His enim florentibus, omnia flore-
bunt. Multis quidem periculis exposita es, ô charissima Francohusa, ni-
hilominus tamen in his etiam periculis, quæ Deus tamen clemen-*
ter

ter avertat, usibus tuis me destinavi. Tecum vivere, tecum mori cupio. Una salus ambobus erit, commune periculum. Tuam salutem, tua commoda meis etiam anteponam. Si quam spem, si quam fiduciam in futura filiorum tuorum informatione de me concepisti, per DEI gratiam & καδδύναμιν operam me daturum omnem polliceor, spe tua ne excidas. Divina clementia porrò à te contagia, bella & quævis pericula averruncet. Sed ut piorum votorum compendium faciam, finiam hanc orationem auspicalem pio, quo illam auspicatus sum, suspirio:

Vos Franchusanae celebres salvete SALINÆ,
Dum Vobis SAL erit, sit quoque cuncta
SALUS.

Nach verrichteter Introduction
abgesungene

Wunsch- und Brust-ODE.

I.

Wann man bey sich überleget
Gottes Gnad und Gü-
tigkeit /
Die dich treulich hägt und
träget

Izt bey dieser schweren Zeit /
Da die Kranckheits-Winde brausen /
O du liebes Franckenhausen /
Muß mit mir ein ieder sagen ;
GOTT hat dich im Schoos getragen.

2.

Ist nicht um dich hergeschlichen
Bis izund die Pest-Gefahr ?

Wie viel tausend sind verblichen
Nur in dem verwichnen Jahr?
Du bist Franck und Frey geblieben /
Drum ist nichts denn lauter Lieben
Deines GOTTES abzumerken
Hier in diesen Gnaden-Wercken.

3.

Zwar es haben Pest und Seuchen
Noch nicht gänzlich aufgehört /
Sie beginnen noch zu schleichen /
Und wird mancher Ort beschwert :
Aber wirst du ferner beten /
Und zu Gott busfertig treten /
Wird die Plag' Er gnädig wenden
Und dieselbe gänzlich enden.

4. Und

4.

Und daß dieses nun geschehe/
Soll mein herzlich Wunschen seyn/
Unser Vater in der Höhe
Spreche Ja und Amen drein!
Ja Er wolle Heil und Segen
Um die ganze Stadt herlegen/
Allen die darinnen leben
Woll Er Glück und Segen geben.

5.

Weil ich denn auf Gottes Fügen
Soll dir dienen liebe Stadt/
Wil ich forthin nach Vermögen
Gern arbeiten früh und spat
In den lieben Schulen Garten
Und die jungen Pflanzgen warten:
Gott regier also die Jugend/
Daß sie liebe Kunst und Tugend.

6.

O mein werthes Franckenhausen
Sey gegrüßet tausendmal/
Glück von innen und von aussen
Wünsche dir ich überall/
Glücke deinem Kirch-Gebäude/
Glücke die nach aller Treue
Die Zuhörer kräftig laben
Mit gewünschten Seelen Gaben.

7.

Unseren Regierungs Säulen
Und den Rechts-Gelehrten hier
Ist ein Wunsch auch mitzutheilen/
Die der Stadt sind eine Zier:
Gott erfülle sie mit Gnaden
Und behüte Sie für Schaden/
Daß an ihren hohen Gaben
Mög ein ieder Zuflucht haben.

8.

Den gesamten Rath's-Personen
Wünsch ich Heyl und Segen an/
Meinen Gönnern und Patronen/
Die mir günstig beygethan/

Er verleyhe Glück und Segen
Ihrem Amt und Rathes-Schlägen/
Daß dadurch des Höchsten Ehre
Und gemeiner Ruß sich mehre.

9.

Sonderlich da nun aufgehet
Hier ein neues Regiment/
Sey Gott herzlich angeflehet/
Daß zu einem guten End
Alles glücklich hinaus-schlage/
Daß er selber Amen sage
Zu dem Herzens Wunsch und Flehen/
So schon neulich ist geschehen.

10.

Segen sey in Salen-Dwellen/
Segen in der Stadt und Land/
Segen sey in allen Schwellen/
Segen in eins jeden Stand/
Segen in der Amtes-Mühe/
Segen über Feld und Wiche/
Segen sey in Acker-Bauen/
In den Sölden und in Brauen.

10.

Sonderlich laß deinen Segen/
O du höchster Schul-Patron/
Sich in unsre Schule legen
Aus des hohen Himmels Thron/
Segne selber spat und frühe
Unsre Centner-schwere Mühe/
Daß die liebe Schulen-Jugend
Wachse an Gottesfurcht und Tu-
gend.

12.

Weil du viel schon hast gezeigt
Nur in dieser kurzen Zeit/
Die der Schulen sind geneiget/
Also hilf noch ferner weit/
Daß wir Schul-Patronen haben/
Die mit ihrer Huld uns laben/
Daß durch derer Gunst und Pflege
Mehr die Schule wachsen möge,

Ne

*Ne quid vacui relinquatur, Gratulatoria placet hic annectere
duorum Theologorum celeberrimorum vñ cu τῶν αἰγίων, non diu ante obi.
tam per literas ad me transmissa, quorum altera B. Dn. D. Samuelis
Pomarrii, Superintendentis Lubecensis, Praeceptoris & Hospitis mei quon-
dam in Hungaria de me meritissimi; altera B. Dn. Michaelis Christiani
Tieroff's / Pastoris Northufani & Inspectoris primarii, Fautoris
quondam mei æstimatissimi.*

I. B. DN. DOCT. SAM. POMARRII

ipsa introductionis meæ luce d. 12. Dec.
Lubecæ exaratum.

GRatulor adscensum, Excellens HOFMAN-
NE, Gradumque

Majorem, tua quem pagina scripta refert.
Hunc meruit pridem pia mens, contermina
coelo,

Doctrinæque tenax copula sedulitas.
Adspiret coeptis felicia RECTOR Olympi
Fata, novasque operas fruge recente beet.
Pasce Agnos hodiè Christi, fide & arte, tenellos,
Præside Pastore hoc, dum tibi credat Oves.
In parvis qui fidus erit, cur magna negaret
Tradere, qui nostras scitque regitque vias?

2. B. DN. M. MICH. CHRISTIANI Tieroff's.

d. 23. Aprilis Anno 1682.

CHRISTUM

&

Me

Totum!

D z

Præ-

Præclarissime & excellenter Doctæ Domine MAGISTER,
Fautor & Amice peramande,

Instar Evangelii mihi fuit, quod de novâ sparta scholasticâ auditione percepi. Et profectò magna de Te mihi & omnibus Bonis spes est, fore, ut pædagogium Francohusanum per Te illustrius reddatur. Quare communi Cordatorum letitiæ letitiam meam sociari gavisus & quidem impensè & ex animo, quod fors divina Te nobis viciniorem fecerit. Esset, ut longâ verborum serie honores hos Tibi gratularer. Ast versor inter meditationes, & prout officii ratio exigere videtur, occupationes sacras. Quare acclamatione, magis ex animo, quàm speciosè conceptis verbis oriundâ eaq; brevissima eris contentus. Omnigenam felicitatem, & quod ipse Tibi precaris, devotè precor, ut Te gubernaculum Scholæ vestræ tenente, extorris ubiq; pietas & eruditio cum cæteris virtutibus sedem suam apud vos incolant. Deus cum animæ, tum corporis vires largiatur, sine quibus saxum Scholæ Sisyphium volvi & tam immensa negotiorum moles sustineri nequit. Si forsân, quæ communis mundi via est, post bene ac fideliter facta Te maneat hominum ingratus animus, sperandus est beneficiorum cælestium cumulus. Mundus est ingratus, Deus gratissimus. &c.

SOLI DEO GLORIA!

Pon 2/6. 80. a

ULB Halle 3
002 710 218


S. 6.

ME





M. JOHANNIS
Scholæ Schwarzburgico
RECTOR
ORATIO AU
DE
COMPARA
SCHOLA

& præcipue
FRANCOH
cum SALE &
Nobilissimæ SOCIETATI SALI
facrata,
d. XII. Decemb. A. C.
frequentissima præsen
in auditorio
habita

RUDOLSTA
Literis FLEISCHE

Frankenhausen, in

